



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Sunt quibus cor pulsatur exteriùs, quibus tamen deest interiùs gratia  
conversionis ab Auctore Appendicis descripta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



## §. I I.

*Sunt quibus cor pulsatur exterius, quibus tamen  
deest interius gratia conversionis ab Auctore  
Appendicis descripta.*

**E** Sse autem quibus hoc modo cordis  
ostium pulsatur exterius, nec tamen  
Dei gratiâ cui dumtaxat consentiendum  
est, aperitur interius, ex iis maximé di-  
scimus quos in Scripturis, ut suprâ com-  
memoratum est, ad vocem monentis le-  
gimus excœcari, & obdurari. *In sacra*  
*Scriptura, ait S. Thomas, consuetum est di-*  
*ci, quod Deus aliquando indurat vel excœcat, ex*  
*hoc quod gratiam non largitur per quam emollia-*  
*tur & videat.* Sæpius id accidere agnovit  
atque asseruit Romanus Pontifex, atque  
egregius Ecclesiæ Doctor S. Gregorius:  
Plerumque fit, inquit, ut cum audientis cor,  
exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratiâ non  
repletur, incassum exterius à Predicatore mo-  
neatur: quia mutum est os omne quod loquitur,  
si ille interius in corde non clamet, qui aspirat ver-  
ba que audiuntur. Hinc Propheta ait: Nisi  
Dominus edificaverit domum, in vanum laborant  
qui &ificant eam. Hinc Salomon dicit: Con-  
sidera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem  
ille despexerit. Nec mirum si à corde reprobo  
Pra-

*Comment. in  
cap. 7. &c.  
6. lect. 4.  
num. 6.*

*Lib. II.  
moral. c. 5.*



*Predicator minimè audiatur, dum nonnunquam  
& ipse quoque Dominus in his quæ loquitur re-  
sistentium moribus impugnatur. Hinc est quod  
Cain divinâ voce admoneri potuit, & mutari non  
potuit: quia exigente culpâ malitiæ, jam intus  
Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium  
verba faciebat. Nihil itaque hic textus pro-  
bat prætensam ab Appendice fidem.*

## §. III.

*Aliis Scripturæ locis abutitur ad stabiliendam  
dictam Gratiam.*

**S** Ed pergit: Hoc confirmatur ex cap. I,  
Proverb. ubi Deus dicit peccatoribus: Con-  
vertimini ad correptionem meam, & proferam  
vobis spiritum meum, seu gratiam veræ peniten-  
tiæ. Confirmari hinc vult, quod superius  
dixerat: tantum debent (peccatores) ape-  
rire per consensum liberi arbitrii, ut gratiam  
conversionis accipiant, ut proinde convertere  
se ad correptionem Dei sit huic Auctori,  
aperire per consensum liberi arbitrii;  
Atque hac conversione, sive apertio-  
ne per consensum liberi arbitrii peni-  
tentiæ gratiam omnibus ultrò oblatam  
qui volunt accipiant; ac per hoc, illa con-  
versio sive apertio per consensum liberi  
arbitrii prior est gratiæ acceptione, &

non